
Orelli – Cl. Claudiani in Probini.... 1843


VE RI
TAS



INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA TURICENSI

INDE

A DIE XXX. MENSIS OCTOBRIS M.DCCC.XLIII.

USQUE

AD DIEM XX. MENSIS MARTII M.DCCC.XLIV.

HABENDARUM.

INSUNT

CL. CLAUDIANI IN PROBINI ET OLYBRII FRATRUM CONSULATUM PANEGYRIS. IN RUFINUM LIBRI DUO CUM VARIIS LECTIONIBUS.

TURICI.

APUD ORELLIUM, FUESSLINUM ET SOCIOS.

M.DCCC.XLIII.

1859, Oct. 28. 6cts.
Gray Fund.

Quantum non madidis elisa tonitrua Coris;
Secernique negant, ereptaque praelia poscunt;
Insignemque ducem populus defendit uterque,
Et sibi quisque trahit: magno certatur amore,
Alternamque fidem non illaudata lacessit
Seditio talique simul clamore movetur:
  Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis
Excutit et solvi curvatos imperat arcus?
Quisnam audet stricto leges imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus.
Iam mihi barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant ultroque manus mucrone furenti
Ducitur et siccum gladium vagina recusat.
Num patiar! Semperne Getis discordia nostra
Proderit? En iterum belli civilis imago!
Quid consanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? Non dissociabile corpus
Coniunctumque sumus. Te, quo libet ire, sequemur.
Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thulen,
Te vel ad incensas Libyae comitabor arenas.
Indorum si stagna petas rubrique recessus
Aequoris, auriferum veniam poturus Hydaspen.

---

222. *validis* T. (nova lectio.) — *illisa* T cum ceteris notis praeter Lucens. Gyrald. Ambros. tert., e quibus *elisa* recte recepit Heinsius. — 225. *honore* pr. T. cum aliis. — 227. *movetur* T cum tantum non omnibus, id est, «κινεῖται, sese movet, hunc in clamorem prorumpit:» *queruntur* rursus mera ex interpolatione Lucens. Gyrald. ex bisque Heins. Burm. — 230. *stricto leges* T cum tantum non omnibus: *leges vibrato* ex mera variandi cupidine Lucensis, primus Vatic. et Ed. Basil., quod praetulerunt Heins. et Burm. — «Utrumque probum; illud tamen *(leges vibrato)* malo, quia *strictos deponere cogimur enses* iam praecessit v. 214» Heins. Verum haec ipsa interpolandi causa fuit. — 231. *simul* pr. T. — 232. *Iam mihi*] sic etiam T. Ante Heinsium volgabatur *Iam iam*. — *tela* T, ut corr. Rottendorph. — 233. *ultroque* T cum ceteris notis praeter Exc. Laeti, Florent. varia lect. et Ed. Parm., ex quibus manifestam interpolatoris *sponte ultroque* improbantis manum *ultrixque* praetulit Heins. et Burm. — 235. *Non* T cum plerisque. — 237. *dividit* T cum permultis. Heinsiana lectio desumpta est ex Thuan. Exc. Lucens. et Laeti. — 239. *qua libet* T cum permultis. Pro qua lectione Burmannus affert locum satis diversum Petron. 18: *Hoc amo, quod possim, qua libet, ire via.* — 240. *tilem* T. — 243. *Litoris* T, ut Edd. ante Heinsium, et in ipsa Heinsiana 1688. Contra in Heins. 1665. est *aequoris*. — «*Aequoris* prior Moreti inter optimos (vel potius, ut notat Le Clercq, Pulmanni Cod. C.) Bene; alterum ferri non potest, quia sequitur *secretaque litora Nili*; nisi illic cum altero Moreti et

Si calcare Notum secretaque litora Nili
Nascentis iubeas, mundum post terga relinquam;
Et quocunque loco Stilichon tentoria figet,
Hic patria est. Dux inde vetat: Desistite, quaeso,
Atque avidam differte manum. Cadat iste minacis
Invidiae cumulus: non est victoria tanti,
Ut videar vicisse mihi. Vos, fida iuventus,
Ite mei quondam socii. Nec plura locutus
Flexit iter; vacuo qualis discedit hiatu
Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis
Et pastorales pepulerunt igne catervae,
Inclinatque iubas demissaque lumina velat,
Et trepidas maesto rimatur murmure silvas.
  Ut sese legio vidit disiuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum galeasque solutis
Humectat lacrimis pressamque morantia vocem
Thoracum validos pulsant suspiria nexus.
Tradimur, heu! tantumque sequi prohibemur amorem,
Exclamant: tardasne tuas, dux optime, dextras,
Quas tibi victrices toties Bellona probavit?
Nos adeo viles? adeo felicior axis
Hesperius, meruit qui te rectore teneri?

---

primo Vat. legas *noscere Nili*, ut *secreta Nili* dixerit, quomodo *clausa rerum* et similia, quorum noster plenus.» Heins. «Saepe confunduntur *litora* et *aequora*. Vide III. Cons. Hon. 209. An *secretaque visere Nili?* Vide ad Nemes. Cyneg. 68.» Burm. — Vides sane perquam exiguam esse auctoritatem lectionum *Aequoris* et *noscere*. — *petiturus* pr. T. — 245. *mundum*] «*annum* Lucens. Placet. Virg. Aen. 6, 796: *patet extra sidera tellus*, *Extra anni solisque vias*.» Heins. At vel merus est error vel lasciva interpolatio. — 252. *Flexit* T cum plerisque, *Flectit* ex primo Vat. et duobus aliis Heinsius. Illud restitui; magis enim placet *Flexit - - ut discedit* quam altera lectio. — *discessit* pr. T. — 258. *solutis*] sic etiam T. *Volutis* vel *solutas* malebat Heinsius, posterioris v. exemplum afferens Stat. Theb. 8, 163: *qui fletus galeis cecidere solutis!*, ad prius Virgilianum illud: *lacrimae volvuntur inanes*. (Aen. 4, 499.) Sed an quisquam dicere sustinuerit *lacrimas volutas*, valde dubito. — 259. *Humectat* T cum tantum non omnibus, item Edd. ante Burmannum, qui ex Lucensi, uno Petav. et Delrii Codice cum quarto Vaticano (v. Heins. infra ad v. 317.) *humectant*. — 261. *Tradimur*] *Prodimur* ex prioris varia lect. Moreti edere volebat Heinsius; sed operae non obtemperarunt. — 262. *tardasque* pr. T, quod verum iudico modo legatur *tardasne; tradisque* corr. T, *tradisne* Libri plerique et Edd. ante Heinsium, qui *spernisne* ex Luc. Gyrald., primo et sec. Vat. Moret. sec. Livin. Mihi videtur interpolatio. — 263. *pararit* corr. T cum multis.

Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem
Pignora dilectosve iuvat coluisse penates?
Te sine dulce nihil. Iam formidata tyranni
Tempestas subeunda mihi; qui forte nefandas
Iam parat insidias, qui nos aut turpibus Hunnis
Aut impacatis famulos praestabit Alanis,
Quamquam non adeo robur defecerit omne
Tantave gestandi fuerit penuria ferri.
Tu licet occiduo maneas sub cardine solis,
Tu mihi dux semper, Stilichon, nostramque vel absens
Experiere fidem. Dabitur tibi debita pridem
Victima: promissis longe placabere sacris.
  Tristior Haemoniis miles digressus ab oris
Tangebat Macetum fines murosque subibat,
Thessalonica, tuos. Sensu dolor haeret in alto
Abditus et tacitas vindictae praestruit iras,
Spectaturque favens odiis locus aptaque leto
Tempora, nec quisquam tanta de plebe repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quae non posteritas, quae non mirabitur aetas
Tanti consilium volgi potuisse taceri
Aut facinus tam grande tegi? mentisque calorem
Non sermone viae, non inter pocula rumpi?
Aequalis tantam tenuit constantia turbam,
Et fuit arcanum populo. Percurritur Hebrus,
Deseritur Rhodope, Thracumque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem.
  Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes

---

269. *subeunda*] *subiecta* T, ut Tolos. — 271. *implacatis* pr. T cum aliis. — *praestabat* pr. T, *praebebit* Luc. Gyr. primus Vat. — 272. *defecerat* pr. T, ut Farn. — 276. *pridem*] *quondam* pr. T. (nova lectio.) — 277. *longe*] sic etiam T. «*Longum* Mediceus sec. non male, id est, diu promissis.» Heins. Sic Virg. Aen. 10, 740: *nec longum laetabere*. Ovid. Met. 5, 65: *Nec longum pueri fato laetabere*. Et recepit Koenig, etsi lectionis per se non reiiciendae perquam exigua est auctoritas. — 279. *Macedum* T cum aliis nonnullis. — 282. *lacus* pr. T. — 283. *plebe*] sic etiam T. *pube* Luc. Gyr. primus Val. et duo alii, ex interpolatione. — 288. *rumpi*] «Merito suspectum Barthio. An *fundi*? ut ita confunduntur *fundere* et *rumpere questus* Rapt. Pros. 2, 249. Certe *rumpi* admodum dure *calori* iungi vidit iam Barthius; nisi Claudiano haec sint ignoscenda.» Burm. — 289. «*turmam* Pricaeanus, *mentem* tertius Vat. fortasse *gentem*.» Heinsius.

Cognita Rufino, magna cervice triumphat,
Omnia tuta ratus, sceptrumque capessere fervet,
Et coniuratos accendit voce clientes:
  Vicimus; expulimus: facilis iam copia regni.
Nullus ab hoste timor. Quis enim, quem poscere solum
Horruit, hunc tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatum, quem non superavit inermem?
I nunc, exitium nobis meditare remotus
Incassum, Stilichon: dum nos longissima tellus
Dividat et mediis Nereus interstrepat undis,
Alpinas transire tibi me sospite rupes
Haud dabitur. Iaculis illinc me figere tenta.
Quaere ferox ensem, qui nostra ad moenia tendi
Possit ab Italia. Non te documenta priorum,
Non exempla vetant? Quisnam conatus adire
Has iactat vitasse manus? Detrusimus orbe
Te medio tantisque simul spoliavimus armis.
Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera donandumque novis legionibus aurum.
Opportuna meis oritur lux crastina votis.
Quod nolit, rex ipse velit, iubeatque coactus
In partem mihi regna dari. Contingat in uno
Privati fugisse modum crimenque tyranni.
  Talibus acclamat dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis crevere rapinis,
Et quos una facit Rufino causa sodales,

---

296. *accendit*] *ostendit* T cum novem Heinsianis. — 298. *ab*] *in* pr. T. — *Quis*] sic etiam T: *Quid* de Heinsii coni. et cum Oisel. Burmannus. Non placet vel propter seq. *Quis ferat*, pro quo Heinsius malebat *Qui ferat*. — *poscere*] *vincere* T cum plerisque. Illud Heinsio praebuit Luc. Gyrald. Ed. Basil. — 303. *Nereus mediis* T. — *interstrepat*] sic etiam T. «*interfluat* prim. Vatic. Livin. et mg. Ed. Basil. Fort. *interluat*.» Heins. — 305. *illic* T cum aliis. — 307. *monumenta* T cum omnibus, praeter Exc. Luc. sec. ex quibus *documenta* Heinsius. «Ovid. Met. 3, 579: *tuaque aliis documenta daturus Morte*. Etiam ibi *monumenta* in scriptis erat, in aliis *exempla*.» Burm. — 308. *Quisnam* T cum omnibus praeter primum Vat. (et Livin.): *quis par* et his Heins. Burm. «Optime quidem: ad paria pladiatorum alludit.» Heins. Mihi vel merus error vel inepta interpolatio videtur. — 309. *vicisse* T, ut Exc. Voss. — *destruximus* T. cum aliis. — 311. *socii tempus* T. — *parate* corr. T. *parari* malebat Heinsius. — 317. *acclamat* T cum omnibus praeter Pricaeanum, ex quo *acclamant* Heins. Burm. — 318. «*nituere* Barthii liber, de quo videndum.» Burm.

Illicitum duxisse nihil. Delicta fuere
Nexus amicitiae. Iam iam connubia laeti
Despondent aliena sibi, frustraque vicissim
Promittunt, quas quisque petat, quas devoret urbes.
Coeperat humanos alto sopire labores
Nox gremio nigrasque Sopor diffuderat alas.
Ille diu curis animum stimulantibus aegrum
Labitur in somnos. Vix toto corde quierat,
Ecce videt diras alludere protinus Umbras,
Quas dedit ipse neci; quarum, quae clarior, una
Visa loqui: Proh! surge toro! Quid plurima volvis
Anxius? Haec requiem rebus finemque labori
Allatura dies. Omni iam plebe redibis
Altior et laeti manibus portabere volgi.
Has canit ambages: occulto fallitur ille
Omine nec capitis fixi praesagia sensit.
Iam summum radiis stringebat Lucifer Haemum
Festinamque rotam solito properantior urget.
Tandem Rufini visurus funera, Titan
Prosiluit stratis densaeque capacia turbae
Atria regifico iussit splendere paratu
Exceptura dapes, et, quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.

---

320. *delicta fuere*] «*funesta tacere*, quod non capio.» Heins. En insana interpolatio! — 324 *alte* T. — 325. *pigrasque*] T cum plerisque; *nigrasque* e primo Vatic. Palat. et Barthii Codice Heinsius. «Sed contra omnes (plures) Codices talia obtrudere temerarium. Nec video rationes, cur non *pigrae alae* somno possint adscribi, ut contra *veloces* Mercurio apud Ovid. Her. 16, 61: *Constitit ante oculos actus velocibus alis*. Somno ergo, pigro deo, pigrae alae dantur.» Burm. — 326. «Pro volgata *aeger*, *aegrum* Aldus et scripti fere omnes» (etiam T.), «quod frustra improbant viri docti. Sic Ovid. Rem. Am. 129: *Cum dederit lacrimas animumque expleverit aegrum*. Prior Leid. (et Barthii Cod.) *aegre*, etiam non male.» Heins. «Mihi *aegre* magis placet; cum diu in somnis iacuisset ob curas, tandem labitur in somnos.» Burm. — 328. *duras* T, ut Oxon. et Leid. — 329. *clarior*] sic etiam T. *saevior* Pal. Med. pr. Barthii Liber. — 330. *toris* T. (nova lectio.) — 331. *timori* Lucens. ex interpol. — 332. *Illatura* pr. T. — 335. *fixi praesagia sensit* T cum plerisque: *sentit* (sic) *praesagia fixi* ex Lucens. Gyrald. et quattuor aliis Heins. et Burm. — 339. «*Desiluit* Lucens. Non male.» Heins. «*Prosiluit* non mutem; nam notat etiam simul ex cubiculo progressum ad socios et domesticos, cum *desiliens* poterit in cubiculo suo manere.» Burm. — 341. *post quod* T. — 342. «*Insculpi* Lucens. Gyrald. et Vatic. prim. Non audio. Iuven. 6, 205: *scripto radiat Germanicus auro*.» Heinsius.

Ipse salutatum reduces post proelia turmas
Iam regale tumens et principe celsior ibat,
Collaque femineo iactabat mollia gestu,
Imperii certus: tegeret ceu purpura dudum
Corpus et ambirent ardentes tempora gemmae.
Urbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,
Planities vicina patet: nam cetera Pontus
Circuit, exiguo dirimi se tramite passus.
Hic ultrix acies, ornatu fulgida Martis,
Explicuit cuneos. Pedites in parte sinistra
Consistunt; equites illic poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis.
Hic alii saevum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs. Coniuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu. Credas simulacra moveri
Ferrea cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis. Ferrata fronte minantur,
Ferratosque levant securi volneris armos.
Diviso stat quisque loco. Metuenda voluptas
Cernenti pulcherque timor; spirisque remissis
Mansuescunt varii vento cessante dracones.
Augustus veneranda prior vexilla salutat.

---

343. *salutantum* pr. T. — 345. *iactabat*] sic etiam T. Ante Heinsium *gestabat*. — 346. *dudum*] sic etiam T. *tutum* Clav. et Schedae Gud. — 348. *quo* T cum aliis. — 350. *tramite*] sic etiam T. *limite* Lucens. ex interpol. — 351. *Martis*] sic etiam T. *ferri* alii pauci. «Sic in *ferro* et *Marte* variant libri apud Ovid. Met. 6, 464. et 13, 255.» Burm. — 353. *illic* Heins. 1688. Koenig: *illuc* T, *illinc* Heins. 1665. et Burm. ex Codd. — 355. *Hic* T cum plerisque, Heins. 1688. Koenig: *Hinc* Codd. aliq. Heins. 1665. et Burm. — *saevum*] sic etiam T. *senium* Cod. Barth. et Vicet. «Suspectus locus, nec a librariis illud *senium mutant* (sic Vicet.) proficisci potuit.» Heins. Immo merus est error ortus ex scriptura *seuum*, quae est in T. — 357. *formatque*] sic etiam T. *firmatque* corr. Oxon. «*Format*, id est, ipsa membra exprimit.» Burm. — 358. *animatur*] sic etiam T. *hamatur* ante Delrium et Heins. volgo. «*Animatur* vera lectio, quia lamina illa videbatur cutis corporis vivi.» Burm. — 359. *videri* T. Ex aliis non notatur. — 362. *movent* T cum multis, et sic olim volgo. *Levant* Heins. et Burm. cum Lucens. aliisque certe non interpolatis. Comparat Heinsius Rapt. Pros. 1, 13: *Colla levant attrita iugis*. «Et *moveri* iam praecesserat.»

Rufinus sequitur, quo fallere cuncta solebat
Callidus affatu, devotaque brachia laudat,
Nomine quemque vocans: natosque patresque reversis
Nuntiat incolumes. Illi, dum plurima ficto
Certatim sermone petunt, intendere longos
A tergo amplexus insperatoque suprema
Circuitu sociare parant: decrescere campus
Incipit et clipeis in se redeuntia iunctis
Curvo paullatim sinuantur cornua ductu.
Sic ligat immensa virides indagine saltus
Venator: sic attonitos ad litora pisces
Aequoreus populator agit rarosque plagarum
Contrahit anfractus et hiantes colligit oras.
Excludunt alios; cingi se fervidus ille
Nescit adhuc, graviterque apprensa veste morantem
Increpat Augustum: scandat sublime tribunal;
Participem sceptri, socium declaret honoris.
Cum subito stringunt gladios; vox desuper ingens
Infremuit: Nobis etiam, teterrime, nobis
Sperasti famulas imponere posse catenas?
Unde redi nescis? Patiarne audire satelles,
Qui leges aliis libertatemque reduxi?
Bis domitum civile nefas, bis rupimus Alpes.
Tot nos bella docent nulli servire tyranno.
  Diriguit. Spes nulla fugae; seges undique ferri
Circumfusa micat. Dextra laevaque revinctus
Haesit et ensiferae stupuit mucrone coronae:

---

367. *qui* T cum plerisque: *quo* repositum est e primo Vat. et Cod. Barthii. — 369. *vocans*] sic etiam T. *vocas* Lucens. Gyrald. et prim. Vatic., quorum conspirationem contra ceteros hic quoque vides. — 371. *intendere longos A tergo amplexus* T. cum omnibus praeter Lucens. et Gyrald., ex quibus Heins. et Burm.: *intendere -- flexus*; quae rursus mera est interpolatio. — Satis argute atque ambigue suo ex more hos *amplexus* dixit, non quidem amicos, sed perniciosos. — 373. *sociare*] *sermone* T. (nova lectio.) — 376. *silvas* T cum multis, *saltus* ex Lucens. Gyrald. aliisque interpolationis minus suspectis recepit Heins. Burm. — 379. *amfractus* T. — 381. *appressa* T, ut Exc. Voss. et alii pauci. — 385. *deterrime* T cum omnibus praeter var. lect. Vat. quint. *teterrime*, quam probatam Heinsio et Burmanno recte videntur recepisse Gesnerus et Koenig. «Ita enim in Codice Theodosiano Rufinum vocant Arcadius et Honorius A. A.: *Ne unius viri illustris valeat temporalis offensio teterrimi iudicis iniuria.* Nam Tatianum Rufinus proscripserat.» Heins. — 386. *Famulis* corr. T. (nova lectio.) — 387. *noscis* mg. T. (item.) — 389. *domitum*] sic etiam T. *domui* alii pauci.

Ut fera, quae montes nuper dimisit avitos,
Altorumque exsul nemorum damnatur arenae
Muneribus, commota ruit; vir murmure contra
Hortatur, nixusque genu venabula tendit.
Illa pavet strepitus cuneosque erecta theatri
Respicit et tanti miratur sibila volgi.
Unus per medios audendi pronior ense
Prosilit exserto, dictisque et volnere torvus:
Hac petit, hac Stilichon, quem iactas pellere, dextra
Te ferit: hoc absens invadit viscera ferro.
Sic fatur meritoque latus transverberat ictu.
Felix illa manus, talem quae prima cruorem
Hauserit et fessi poenam libaverit orbis!
Mox omnes fodiunt hastis artusque trementes
Dilaniant. Uno tot corpore pila tepescunt
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi voltus avidos et adhuc spirantia vellunt
Lumina; truncatos alii rapuere lacertos.
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis
Nexibus; hic fracti reserat curvamina dorsi.
Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
Pulmonis latebras. Spatium non invenit ira,
Nec locus est odiis. Consumpto funere vix tum
Deseritur sparsumque perit per tela cadaver.
Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent

394. *dimisit*] sic etiam T. cum tantum non omnibus libris. *amisit* prim. Vatic. aliique pauci; item volgo ante Heinsium. — 395. *damnatur*] *deputatur* superscr. in T. ex gloss. — 396. *Muneribus*] sic pr. T. cum aliis. *Vulneribus* corr. T. cum aliis, *Verberibus* alii. — 399. *Despicit* pr. T, *Dispicit* Cod. Clav. (*Respicit* corr. T cum Luc. Gyrald. sec. Vatic. «Verbum *respicere* pavorem ferae eleganter exprimit.» Heins.) — 400. «*pronior*] Heinsius coniecerat *promptior*. Male; vide infra v. 465.» Burm. (*promptior* est in Patav.) — 401. *exserto*] sic etiam T. *esecto* multi. — *volnere*] sic etiam T. *lumine* Patav. ex interpol. — 402. *Appetit* T cum multis. — *Impetit* primus Val. et alii. Emendavit Heinsius ex primo Leid. et duobus aliis. — 406. *libraverit* pr. T cum aliis. — 410. *voltus avidos*] sic etiam T. *rabidos voltus* Lucens. Gyr. «Utrumque probum.» Heins. «Forte *pavidos*.» Burm. (Luc. et Gyr. lectio rursus mera est interpolatio.) — 413. *reserat* T cum tantum non omnibus, quod restitui: *resecat* ex Moret. sec. Heinsii coni. firmante hic et Burm. — 416. «Malim *consumpto volnere vixdum*.» Burm. Non vidit *funere* (pro quo *corpore* ex interpol. Oxon.) significare «nece»; et *vixdum* h. l. prorsus falsum est. *Vix tum* significat «etiamtunc vix.» — 417. *perit*] *cadit* T cum plerisque; sed *cadit* - - *cadaver* vix probari potest. *perit* ex Lucensi, primo Vat., aliis nonnullis et Ed. Basil. correxit Heinsius.

Maenades, aut subito mutatum Actaeona cornu
Traderet insanis Latonia virgo Molossis.
  Criminibusne tuis credis, Fortuna, mederi?
Et male donatum speras aequare favorem
Suppliciis? una tot milia morte rependis?
Eversis agedum Rufinum divide terris,
Da caput Odrysiis, truncum mereantur Achivi.
Quid reliquis dabitur? Nec singula membra peremptis
Sufficiunt populis. Vacuo plebs obvia muro,
Iam secura, fluit. Senibus non obstitit aetas,
Virginibusve pudor. Viduae, quibus ille maritos
Abstulit, orbataeque ruunt ad gaudia matres,
Insultantque alacres; vacuos iuvat ire per artus
Pressaque calcato vestigia sanguine tingi.
Nec minus assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput, quod iam de cuspide summa
Nutabat, digna rediens ad moenia pompa.
Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Aera petens, poenasque animi persolvit avari

---

420. *virgo*] sic T cum Libris omnibus, «*visa* Lucensis. Placet; ab Actaeone scilicet nuda.» Heins. Illud tamen servavit ipse et Burmannus. Sane *visa* nihil aliud est nisi petulans interpolatio. — 421. *credis* T cum plerisque: *speras* ex Luc. et Flor. Heinsius, Burm. — 422. *speras* T cum plerisque: *certas* mg. T. item ex Luc. Flor. Pat. aliisque nonnullis Heinsius, Burm. — 423. *rependis* T cum tantum non omnibus, item Heins. Burm. *rependi* (cum Helmstadiensi) Gesner, Koenig. — 427. *obvia*] *undique* T cum aliis haud paucis. — 428. *fluit*] *ruit* T cum aliis haud paucis. «Sed *ruunt* statim sequitur.» Heins. — 431. *vacuos* T cum plerisque: *laceros* cum duobus Vat. Farn. Prio. Oisel. Ambr. sec. et aliquot aliis Heins. Burm., *laceros* vel *truncos* Moret. sec. «Codd. quidam *vacuos*, quod Delrius perperam probat, cum *vacuo muro* paullo ante praecesserit.» Heins. Dubito, utra lectio sit praeferenda; nam repetitio eiusdem vocabuli intra paucos versus non semper suspectum facit locum, et repetita potest esse vox *laceros* ex praecedenti *alacres*, quae saepe cum altera commutata est. Vide Ovid. Her. 1, 36. *Vacui artus* possunt recte explicari de cadavere, quod exsangue est, et ita vacuum spiritu et anima, ut Statius Theb. 9, 47: *Nudus in egregii vacuum iam corpus amici Procedit.*» Burm. Gravissimum interpolationis indicium praebet illud Moret. sec. *laceros* vel *truncos*. Ergo *vacuos* restitui. De verborum iterationibus apud poëtas Latinos vide Iahnium ad Virg. Ecl. 6, 61. et ad Aen. 5, 136: *intentaque brachia remis; Intenti exspectant signum*; quae tamen iteratio alius est generis (rhetorica videlicet) quam haec apud Claudianum, ad cuius locum prorsus similes haud paucae colligi possunt imprimis ex Tibullo. — 433. *certant* T cum plerisque: *flagrant* ex Luc.; primo Vatic. et quinque aliis Heins. Burm. — 437. *poenasque* T cum plerisque: *fraudesque* ex Luc. et quinque aliis Heins. Burm. — Utraque lectio mihi videtur ex interpolatione orta.

Terribili lucro vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.
Desinat elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque deos ac lubrica numina discat.
Illa manus, quae sceptra sibi gestanda parabat,
Cuius se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu miseroque revolsa
Corpore feralem quaestum post fata poposcit.
Adspiciat, ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat: triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos exstruxit culmina Manes;
Et, qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves. Iacet en, qui possidet orbem,
Exiguae telluris inops et pulvere raro
Per partes tegitur, nunquam totiesque sepultus.
Senserunt convexa necem tellusque nefandum
Emolitur onus. Iam respirantibus astris,
Infernos gravat Umbra lacus. Pater Aeacus horret,
Intrantemque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc animae, quas ille fero sub iure peremit,
Circumstant nigrique trahunt ad iudicis urnam,
Infesto fremitu. Veluti pastoris in ora
Commotae glomerantur apes, qui dulcia raptu

---

441. *ac*] *et* T cum Mss. Pulmanni. — 446. *ne quis* T cum plerisque: *quisquis* ex Luc. et primo Vat. Heins. Burm. — 447. *gerat* T cum plerisque: *gerit* ex Luc. et primo Vat. Heins. Burm. Utrumque rursus ex arbitraria correctione. — 450. *credidit* T cum plerisque: *creditus* ex priore Moreti, primo Vat. Oxon. Reg. Heins. et Burm. Illud recte servavit Gesner. — 451. *en*] *heu* T, ut Ed. Vicet. — 453. Pro Heinsii et Burm. *nusquam nunquam* T. cum aliis, quod recte praefert Burm.: «*Nunquam τῷ toties* respondere videtur, cum *ubique* sit oppositum *τῷ nusquam*»; quod ex aliis praetulit Heinsius servavitque Burm. — 455. *Emolitur* T cum plerisque, idque restitui: *Amolitur* «prior Leidensis, quomodo primus quoque et tertius Vaticani prodiversa lectione.» Heinsius, inductus praecipue Lucani 5, 554: *Heu quantum Fortuna humeris iam pondere fessis Amolitur onus!*, ubi tam aptum est v. *amoliri* quam hic *emoliri*. — 457. *Intrantemque etiam*] «*Tò etiam* mendi suspectum. Mox pro *nigri iudicis* mallim *Stygii* Forte etiam: *Intrantem tri-plici latratu.*» Heins. «Coniecerat Heinsius *Stygiique* et miratur cur *nigrum* vocet. Sed eo colore omnia apud Inferos infecta fingunt poëtae, et *nigrum deum* Plutonem vocat Ovid. Her. 2, 70. et Met. 4, 438. et quis non? Burm. Memento *furvae Proserpinae* Horat. Od. 2, 13, 21. — 461. *raptu*] sic etiam T. *raptim* Exc. Voss., quod sine causa praefert Burmannus.

Mella trahit, pennasque cient et spicula tendunt,
Et tenuis saxi per propugnacula cinctae
Rimosam patriam dilectaque pumicis antra
Defendunt pronoque favos examine velant.
  Est locus, infaustis quo conciliantur in unum
Cocytos Phlegethonque vadis; inamoenus uterque
Alveus. Hic volvit lacrimas: hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur solidoque rigens adamante sinistrum
Proluit igne latus. Dextra Cocytia findit
Aequora triste gemens et fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia secula vitam
Deveniunt. Ibi nulla manent discrimina fati,
Nullus honos vanoque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens. Quaesitor in alto
Conspicuus solio pertentat crimina Minos
Et iustis dirimit sontes. Quos nolle fateri
Viderit, ad mala mox transmittit verbera fratris;
Nam iuxta Rhadamanthus agit. Cum gesta superni
Curriculi totosque diu perspexerit actus;
Exaequat damnum meritis et muta ferarum
Cogit vincla pati. Truculentos ingerit ursis,
Praedonesque lupis, fallaces volpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus,
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,

---

463. *cinctae*] *cunctae* mg. T, ut est in Aldina. — 465. *velant*] sic etiam T. «*Vellant* unus Florent.» Lego *vallant*. Heins. *celant* Exc. Voss. — 470. *sinistro* T. cum aliis, ex accommodatione ad *v. igne*. — 472. *flexu* pr. T. — 475. *honor* T, — 477. *praetentat* T cum aliis, quod non displicebat Heinsio. Sed neque *pertentat* neque *praetentat* satis placet. Forte melius foret *perpensat*, id est, examinat, ut praemia et poenas dispenset.» Burm. Verbum, quo primus usus esse videtur Ammianus Marcellinus, Claudiano obtrudendum non erat. — 479. *ad mala mox* T. cum plerisque: *ad rigidi* ex Lucensi et Gyrald. Heinsius atque Burmannus, *ad saevi* quattuor Heinsii; *ad duri* sec. Vatic. Thuan., quae omnes libidinosae sunt interpolationes, ortae, nisi fallor, ex vitiosis scripturis *ad mala viderit transmittit* Oisel., *ad mali mox* Ed. Vicet. — 480. *cum gesta*] *congesta* T cum aliis. — 481. *prospexerit* T. cum aliis, et volgo ante Barthium atque Heinsium. — 484. *addit*] sic etiam T. «Quidam *abdit* corrigunt; scripti non iuvant.» Heins. — 486. *Indulgens* cet.] «Hic versus nihil Claudiani habet; puto interpolatores hic grassatos.» Heins. Hinc seclusit Ed. Bipontinus; sine causa, arbitror.

Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui iusto plus esse loquax arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent aeterna silentia vocem.
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
Egit Lethaeo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanae revocat primordia formae.
Tum quoque, dum lites Stygiique negotia solvit
Dura fori veteresque reos ex ordine quaerit,
Rufinum procul ecce notat visuque severo
Lustrat et ex imo concussa sede profatur:
Huc superum labes, huc insatiabilis auri
Proluvies pretioque nihil non ause parato,
Quodque mihi summum scelus est, huc improbe legum
Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis,
Cuius ob innumeras strages angustus Averni
Iam sinus et plena lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? En pectus inustae
Deformant maculae vitiisque inolevit imago,
Nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum
In te ferre libet. Dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu: volucer te torqueat axis:
Te refugi fallant latices atque ore natanti
Arescat decepta sitis, dapibusque relictis
In tua mansurus migret praecordia voltur.
Quamquam omnes alii, quos haec tormenta fatigant,
Pars quota sunt, Rufine, tui? Quid tale vel audax
Fulmine Salmoneus vel lingua Tantalus egit
Aut inconcesso Tityos deliquit amore?
Cunctorum si facta simul iungantur in unum,
Praecedes numero Cui tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? Quid denique dignum

---

487. *immundi*] sic etiam T. *immundas* ex aliis Burm. — 491. *per varios annos per mille* T. cum plerisque. Emendavit ex Luc. et Gyrald. Heinsius. — 496. *esse* pr. T. — 501. *simulator* T., item duo Vat. Pat. Moret. sec., ut Barthius legit explicatque in Commentario; in contextu is quoque *stimulator*. — 506. *malorum* T, ut Leid. et pr. Med. tertius. — 510. *revulsis* pr. T. — 513. *sunt* ex Codd. Heinsius in Ed. 1665. et Burm. *sint* T. cum plerisque. Heins. Ed. 1688. Gesner, Koenig. — 516. *fata* T. cum aliis. — 517. *Cui*] *quo* T. cum aliis.

Omnibus inveniam, vincant cum singula poenas?
Tollite de mediis animarum dedecus umbris.
Adspexisse sat est. Oculis iam parcite nostris
Et Ditis purgate domos. Agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebum. Vacuo mandate barathro
Infra Titanum tenebras infraque recessus
Tartareos nostrumque Chaos, qua noctis opacae
Fundamenta latent, penitusque ibi mersus anhelet,
Dum rotet astra polus, feriant dum litora venti.

---

524. *latebras* T. (nova lectio.) — 525. *quo Ditis opaci* T. cum aliis. Emendatum est ex Luc. Gyr. aliisque interpolationis minus suspectis. *Ditis* sane huc venit ex 523. — 526. *penitusque ibi mersus* T cum aliis: *praeceps ibi mersus* Lucensis, *penitusque immersus* e sex Codd. Heinsius et Burm., *praeceps ubi mersus* omnes fere Edd. ante Heinsium. — 527. *rotat - - feriunt* T cum aliis. Ut nos e Codd. Barthius, Heinsius, Burmannus.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA TURICENSI

INDE

A DIE XXX. MENSIS OCTOBRIS M.DCCC.XLIII.

USQUE

AD DIEM XX. MENSIS MARTII M.DCCC.XLIV.

HABENDARUM.

I. Ordinis Theologorum:

1. Professorum ordinariorum:

F. Hitzig, Dr. Theol., p. t. Academiae Rector.

1) Archaeologiae biblicae secundam partem, id est, antiquitates biblicas quaternis p. hebd. horis tradet.
2) Iobi librum quaternis horis interpretabitur.
3) Exercitationes exegeticas Hebraicas binis horis instituet.
4) Grammaticam Arabicam binis horis docebit.

J. P. Lange, Dr. Theol., p. t. Decanus.

1) Historiae ecclesiasticae partem secundam senis horis enarrabit.
2) Dogmaticae Christianae partem secundam quaternis horis tradet.
3) Exercitationes homileticas binis horis instituet.

A. Schweizer, Dr. Theol.

1) Evangelium Ioannis quaternis horis explicabit.
2) Ethicen Christianam quaternis horis:
3) Liturgicen binis horis docebit.

O. F. Fritzsche.

1) Introductionem in Novum Testamentum ternis horis tradet.

2) Evangelia synoptica quaternis horis explicabit.

3) Symbolicen quaternis horis docebit.

4) Exercitationes ad Patristicam spectantes, Chrysostomum "*de Sacerdotio*" explicaturus, binis horis instituet.

2. *Professorum extraordinariorum:*

M. Ulrich.

1) Epistolas ad Corinthios quaternis horis:

2) Epistolam ad Galatas et utramque epistolam ad Thessalonicenses scriptam binis horis interpretabitur.

3. *Privatim docentium:*

I. C. Usteri, Parochus.

1) Evangelium Matthaei binis horis explicabit.

2) Introductionem specialem in Pauli epistolas binis horis tradet.

II. Ordinis Iureconsultorum:

1. *Professorum ordinariorum:*

F. L. Keller, Dr., p. t. Decanus.

1) Gaii institutiones quaternis horis:

2) Iuris particularis Turicensis primam partem, id est, ius rerum et obligationum, ceterorum Helvetiae Germanicae pagorum ratione habita, quaternis horis tradet.

3) Ciceronis orationes pro S. Roscio et pro Q. Roscio quaternis horis explanabit.

I. C. Bluntschli, Dr., Senator Turicensis.

1) Taciti Germaniam, introductionem in historiam iuris Germanici, binis horis interpretabitur.

2) Materias selectas iuris privati Turicensis, exclusurus ius rerum obligationumque, rationem iuris particularis, quoceteri Helvetiae Germanicae pagi utuntur, et legislationis civilis mox perficiendae habiturus, quaternis horis tractabit.

A. Erxleben, Dr.

1) Pandectas ex Blumii Compendio (Halis 1829) denis horis tradet.

2) Collegium exegeticum ad Pandectas spectans binis horis instituet.

G. Geib, Dr.

1) Processum civilem Germanicum communem, Bethmann-Holwegii Compendio usurus, senis horis explicabit.

2) Ius criminale Germanicum commune quomodo per doctrinam et legislationem paulatim processerit, Feuerbachii libro usurus, senis horis exponet.

2. Professorum extraordinariorum:

H. Escher, Dr.

1) De pacto emptionis binis horis edisseret.

2) Processum criminalem quaternis horis explanabit:

3) Politicen quaternis horis tradet.

3. Privatim docentium:

I. Schauberg, Dr.

1) Encyclopaediam disciplinarum iuris et rei politicae quaternis horis tradet.

2) Processum criminalem Germanicum communem et Helveticum senis horis docebit.

III. Ordinis Medicorum:

1. Professorum ordinariorum:

J. Locher-Balber. Dr., p. t. Decanus.

1) Pharmacologiam, artem et exercitationem formulas medicas conscribendi adiuncturus, quaternis horis:

2) Therapiam universalem binis horis docebit.

3) Policlinicen ternis horis moderabitur.

J. Henle, Dr.

1) Anatomiam corporis humani, excepta osteologia et syndesmologia, novenis horis docebit.

2) Exercitationes corpora humana secandi una cum Dr. Kölliker, Prosectore, moderabitur.

C. Pfeufer, Dr.

1) Pathologiam et therapiam specialem senis horis docebit.
2) Clinicen medicam senis horis moderabitur.

H. Locher-Zwingli, Dr.

1) Chirurgiam et theoreticam et practicam quaternis horis:
2) Artem vulnera ligandi binis horis tradet.
3) Clinicen chirurgicam senis horis moderabitur.

2. *Professorum extraordinariorum:*

J. C. Spöndli, Dr.

1) Commilitones ad technicen obstetriciam in phantomate ternis horis instituet.
2) Clinicen obstetriciam binis horis moderabitur.

M. Hodes, Dr.

1) Medicinam forensem quaternis horis:
2) Politiam medicam ternis horis:
3) Anatomiam, pathologiam et therapiam herniarum intestinalium binis horis docebit.

3. *Privatim docentium:*

A. Kölliker, Dr.

1) Osteologiam et syndesmologiam ternis horis:
2) Anatomiam universalem binis horis tradet.
3) Repetitorium ad physiologiam spectans binis horis instituet.

IV. Ordinis Philosophorum:

1. *Professorum ordinariorum:*

A. Müller., Dr., p. t. Decanus.

1) Mathematicen puram quinis horis tradet.
2) Calculum differentialem et integralem quaternis horis docere perget.
3) Mechanicen quaternis horis:
4) Astronomiam popularem binis horis docebit.

L. OKEN, Dr.

1) Historiae naturalis partem primam senis horis:
2) Philosophiam naturalem senis horis docebit.

E. BOBRIK, Dr.

1) Psychologiam quaternis horis tradet.
2) Historiam philosophiae inde ab initio aetatis mediae usque ad nostra tempora quaternis horis enarrabit.
3) Philosophiam politicam Herbartii quaternis horis exponet.

Th. MITTLER, Dr.

1. Historiam aetatis mediae quinis horis;
2. Historiam contentionis, quae inter potentiam ecclesiasticam et civilem per mediam aetatem fuit, binis horis:
3) Historiam civitatum Europae quinis horis tradet.

2. *Professorum extraordinariorum:*

I. C. ORELLI, Dr.

1) Taciti annalium librum IV. et V. ternis horis:
2) Horatii epistolas binis horis interpretabitur.

I. I. HOTTINGER, Dr.

1) Helvetiae historiam usque ad sacra Christiana emendata binis horis enarrabit.
2) Litteraturam historiae Helvetiorum binis horis docebit.
3) Quomodo in rebus gestis conscribendis versandum sit, binis horis auditores enstituet.

I. C. LÖWIG, Dr.

1) Chemiam experimentalem organicam quinis horis docebit.
2) Exercitationes practicas ad chemiam spectantes tricenis horis instituet.

I. H. BAITER, Dr.

1) Platonis Symposion ternis horis:
2) Plauti "*Militem gloriosum*" binis horis explicabit.

R. Schinz, Dr.

1) Historiam naturalem hominis quaternis horis:
2) Zoologiam animalium vertebratorum quinis horis tradet.

O. Heer, Dr.

1) Botanicen universalem quaternis horis:
2) Entomologiam binis horis docebit.

A. Mousson, Dr.

Physicen experimentalem quinis horis docebit.

H. Sauppe, Dr.

1) Antiquitates politicas Graecas ternis horis illustrabit.
2) Aeschyli Eumenidas ternis horis interpretabitur.
3) Exercitationes philologicas binis horis moderabitur.

3. Privatim docentium:

A. W. Winckelmann, Dr., Prof. Gymnasii.

Aeschyli Prometheum binis horis explicabit.

S. Vögelin, Prof. Gymnasii.

1) Pindarum binis horis explicare perget.
2) Platonis Gorgiam binis horis interpretabitur.

H. Vögeli, Dr., Prof. superioris Scholae polytechnicae.

Europae historiam ab America detecta usque ad res Franco-Gallicas conversas ternis horis enarrabit.

F. Gidoni.

De poëtis Italicis, qui antiquis et recentioribus temporibus floruerunt, sermone Italico binis horis edisseret.

Ed. Schweizer, Dr.

1) Chemiam technicam ternis horis docebit.
2) Ad explorationes ope instrumenti, quod dicitur «*Löthrohr*» faciendas commilitones binis horis instituet.

H. SCHWEIZER, Dr.

1) Elementa grammaticae Sanscriticae binis horis:

2) Elementa doctrinae de partibus duabus prioribus linguae Gothicae et Germanicae antiquae (*Laut- und Formenlehre*) ternis horis tradet.

F. EICHELBERG, Prof. super. Schol. polytechn.

Mineralogiam quaternis horis docebit.

K. NAEGELI, Dr.

1) Historiam naturalem Cryptogamorum binis horis enarrabit.

2) Anatomiam comparativam et historiam evolutionis plantarum binis horis docebit.

3) Demonstrationes microscopicas binis horis instituet.

